Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 187
Quelle:
Copyright:



*Volumen* IV. (Cod. 478.) eſt Continuatio praecedentis incipiens a C. III. et inſcriptum: *Tertium volumen M. Henrici de Haſſia ſuper geneſin.* Initium eſt: *Sed et ſerpens erat &c. Secundum diuiſionem in principio iſtius tertii capituli Geneſis in tres partes factam hic incipit tertia pars* &c. Finis: *vtrum dei bonitas plus appareat in remocione mali quam in collacione boni.*

*Volumen* V. (Cod. 479.) Continuatio prioris a v. 17. incipit: *Maledicta terra in opere tuo. Hec propoſitio primo in penam transgreſſionis Adam ſuperius repetite* &c. et finit: *quorum vnus fuiſſet forte latro ille cum Chriſto ſuſpenſus, et hoc de illo tertio dubio.*

*Volumen* VI. (Cod. 480.) a v. 19. proſequitur praecedentem hoc initio: *In ſudore vultus tui* &c. *Expedita iam prima parte iſtius textus ex hijs, que diffuſe dicta ſunt* &c. et fine: *cum apparuerit me gaudenti animo fateor aſſenſurum. taliter ergo et tantum.*

*Volumen* VII. (Cod. 481.) Continuatio ulterior. Initium eſt connexum: *Taliter ergo et tantum dictum ſit de illa quarta ſequela mortis* &c. Finis vero: *illorum articulorum mortui fuerint iuſte ſunt dampnati.* Relata hactenus *Volumina* ab ipſo *Henrico* donata fuiſſe, anterior eorum Theca teſtatur.

*Volumen* VIII. (Cod. 482.) aliud eſt praecedentis Exemplum, eodem initio et fine. Verum alia Adjuncta memoranda ſunt; praefert enim in Theca titulum: *Lectura magiſtri Joannis* (l. Henrici) *de Haſſia in 3. caput geneſis, aliique complures tractatus de neceſſitate fatali.* Itaque 1) ſequitur *fol.* 121. *Tractatus de neceſſitate fatali* hoc initio: *Usque huc pertractata eſt prima pars tertie inſtantie contra diuinam prouidentiam ſuperius facte. qua dicebatur quod ſi deus eſt gubernator* &c. Abrumpitur vero in his verbis: *quare alias dixiſſet apoſtolus vias diuine ſapientie nobis inueſtigabiles eſſe, et propheta cur dixiſſet* — —. Fragmentum iſtud pertinere conjicio ad Tractatum *Henrici de Habitudine cauſarum et influxu naturae communis reſpectu inferiorum*, vel, ut e Codd. *Bodlej.* et *Lipſ.* *Fabricius* adpellat, *Catenam auream*, aut *de reductione effectuum in ſuas cauſas*, aut *de Concatenatione cauſarum.* 2) ſuccedit *fol.* 265. Tractatus polemicus contra Gentiles, praecipue vero contra Judaeos, qui init: *Miſereor ſuper vos o hebrei filii diſperſionis de carne ſanctorum patrum Abraham Yſaac et Jacob progeniti* &c. et terminatur: *miſericordiam tam grandem et ineffabilem pocius cum hominibus quam cum angelis.* 3) *fol.* 281. Verſiculi VII. de praeſenti Schiſmate ad *Bertholdum* Ep. *Friſing.*

*O pater egregie friſingenſis reuerende* &c.

Eſt